DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PLEURITIDE.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE

PLEURITIDE:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS WARD,

SCOTUS,

CHIRURGUS,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOCIUS.

"Ἐς δὲ τὰ ἔσχατα νουσήματα, αἱ ἔσχαται θεραπήιαι ἐς ἀκριβείην κράτισται." HIPP. APH. Sect. I. 6.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT J. PILLANS ET FILIUS.

MDCCCXXII.

SUO

CARISSIMO AVUNCULO,

AMICO OPTIMO,

DANIELI QUARRIER,

LITTLE GREEN,

ARMIGERO,

E REGIIS PRAEFECTIS ET PACIS CURATORIBUS

PRO COMITATU SOUTHAMPTON,

&c. &c. &c.

VIRO

MULTIS VIRTUTIBUS TAM PUBLICIS QUAM PRIVATIS

ORNATO;

OB PLURIMA IN EUM BENEFICIA COLLATA,

HOC OPUSCULUM,

ANIMI GRATISSIMI

TESTIMONIUM QUAMVIS EXIGUUM,

CONSECRAT

AUCTOR.

AMICO SUO,

PRECEPTORIQUE QUONDAM

MAXIME VENERABILI ATQUE DILECTO,

JOANNI STEWART, ARMIGERO,

CHIRURGO,

APUD MUSSELBURGUM;

LITERIS HUMANIORIBUS, ALIAQUE DOCTRINA

AD SCIENTIAM MEDICAM SPECTANTE,

OPTIME ERUDITO;

ANIMI INTEGRITATE, MORUMQUE SUAVITATE,

ET ALIIS VIRTUTIBUS

QUAE VIRUM ORNARE POSSUNT,

IMPRIMIS CONSPICUO;

CUJUS DISCIPLINAE, AMICITIAE, ET BENEFICIIS

PERMULTA DEBEO;

HAS STUDIORUM PRIMITIAS,

SUMMA REVERENTIA,

DICAT

AUCTOR.

PLEURITIDE.

DEFINITIO.

Celeberrimus Cullenus, inter species pneumoniae hunc morbum posuit, et sic definivit. —"Pneumonia (*Pleuritis*) pulsu duro, dolore "plerumque lateris, pungente, sub inspiratione praesertim aucto, decubitu in latus "molesto, tussi dolentissimâ, initio siccâ, "posteà humidâ, saepè cruentâ."

Multi insignes medici, inter quos Hallerus, Morgagni, et Cullenus, nunquam pleurae

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PLEURITIDE.

AUCTORE THOMA WARD.

DEFINITIO.

Celeberrimus Cullenus, inter species pneumoniae hunc morbum posuit, et sic definivit: —"Pneumonia *(Pleuritis)* pulsu duro, dolore "plerumque lateris, pungente, sub inspira-"tione praesertim aucto, decubitu in latus "molesto, tussi dolentissimâ, initio siccâ, "posteà humidâ, saepè cruentâ."

Multi insignes medici, inter quos Hallerus, Morgagni, et Cullenus, nunquam pleurae

inflammationem existere putant, nisi pulmo etiam plus minusve, eodem morbo afficiatur. Alii, autem non minore auctoritate, ex quibus Hippocrates, Galenus, Boerhaavius, et Laennec, (qui nuper multum de his rebus scripsit) utriusque morbi historiam sejunxerunt, nec tamen signa dederunt, ex quibus alium ab alio discernere possumus. Quamvis concedam, insignem esse similitudinem inter Pleuritidem et Peripneumoniam, et utrumque crebrò simul urgere, mihi satis erit dicere, experientes atque eruditos medicos, nunc pro certo habere, pleuram sine pulmone inflammari posse, et vice versâ.

DE CAUSIS MORBI.

1. *Causae Praedisponentes.*—Neque aetas, neque sexus, neque bona constitutio corporis, ullum ab hoc morbo incolumem reddunt; adolescentes validi et robusti, praesertim ei obnoxii sunt; dum infantum, senium, mulierumque imbecillitati indulgere videtur; quum

autem hos premit, semper ob sensibilitatem pejor est. Quicunque habitum corporis plenum habet; quicunque acribus vescitur alimentis, aut plùs justo potiones ardentes bibit; quicunque natus est, cum mortiferâ ad tabem vel ad haemoptysin proclivitate, vel jam Pleuritidem ipsam expertus est, plùs alio hunc morbum timere debet. Aliàs, constat ex medicinae parentis observatione, Pleuritidem minus eis incumbere, qui profluvio haemorrhoidali, et acidis ructubus obnoxii sunt. Quaedam genera vitae huic morbo homines proclives reddere videntur. Ita agricolae, qui sudantes, iterum atque iterum frigescunt, saepè in hunc morbum incidunt; nec non milites qui, jussi sub sole ardente magna itinera facere, frigori et humori postea objiciuntur; item denique omnes qui crebrò caeli mutationes subeunt, et quorum pulmo multum fatigatur. Observatum est etiam regionum frigidarum et montium incolas magis afficere, quam eos qui regiones calidas habitant. "Qui montes habitant aqui-
"lonem spectantes febribus inflammatoriis,

" pleuritide, anginâ affliguntur plurimum." (Huxham). Omnia anni tempora non pariter incremento Pleuritidis favent. Hyeme autem atque vere sunt plura exempla hujus vitii, praesertim si tempestas saepè et subitò mutetur.

2. *Causae Excitantes.*—Inter frequentissimas, subitus ex frigore ad calorem, vel ex calore ad frigus transitus enumeretur. Potiones frigidae, dum corpus sudat, vel post violentam irae accessionem; cursus aut equitatio, adversum ventum subsolanum vel aquilonem; ictus aut in pectus lapsus; pectus penetrantes plagae; omissio sanguinis detractionis in consuetudinem versae; vel profluvii soliti suppressio ex ulla parte, Pleuritidem excitare possunt in corpore jam eae obnoxio. Aliquandò etiam oritur ex sedis mutatione rheumatismi vel podagrae, ex eruptione, sicut rubeolae, scarlatinae aut erysipelatis, a cute repulsa, vel veteris ulceris intempestivè obductâ cicatrice. Quamvis Pleuritis saepissimè singulares afficit, tamen

publice grassari potest, sicut a Morgagni observatum est. Dicitur hoc accidere in regionibus aquiloni spectantibus, et in quibus subitus est transitus a calidissima ad frigidissimam tempestatem.

DE PROGRESSU ET SIGNIS.

Hic morbus nullis signis praecedentibus saepè indicatur. Plerumque autem homo molestiam, et capitis dolorem conqueritur; et oscitatio, pandiculatio et horrores urgent. Hi horrores primò sentiuntur in dorso, lumbis, et pectore; brevi tempore calor ardens, sitis vehemens, omniaque febris signa sequuntur; deinde oritur plus minusve acutus lateris dolor, qui aliquando horrores praecedit; in aliis autem exemplis, solummodo est lassitudo totius corporis, quam calor et sudor comitantur, sicut in initio omnis morbi acuti.

Qualicunque modo morbus primò se osten-

dit, citius vel tardius observantur dolor acutus, gravis, fixus in alterutro latere, rarò in utroque simul; saepius tamen in dextro sub mamma quàm in aliam partem; auctus inter tussiendum, et cum spatia inter costas, vel abdomen comprimuntur. Dolor aliquando est tam pungens, ut homo multum conclamet. Decubitus in latus vitiatum tunc vix tolerari potest; pectus dum percutitur, bene sonat; et cum instrumentum "Stetheoscope" dictum admovetur, nullum signum praeter solitum aure sentitur, nisi pulmo etiam afficiatur. Spiritus maxime difficilis est, dolens, et septo transverso perfectus; inspiratio brevis est, frequens, intermissa; tussis sicca; sputum nullum, vel in minima copia; arteriarum pulsus saepè duri, validi, evolutique; aliquando debiles et parvi. Siccum est os, lingua arida, sitis vehemens; cibi fastidium, nec non nausea, et aliquandò etiam vomitus; urina parca rubra; cutis sicca, calida; et facies, precipuè gena lateris se male habentis rubescit. Febris autem continua est cum paroxysmis vespertinis maximè notatis, qui

per magnam noctis partem, et aliquandò usque ad mane perdurant.

Saepissimè Pleuritis per varia sua tempora cito procedit; paroxysmi accedunt qui aliquoties in die renovantur, et qui eò graviores sunt, quò morbus est vehementior. Vulgò dolor usque ad tertiam quartamve diem ingravescit, deinde sensim desinit, et homo ad sanitatem pervenit.

Duratio autem morbi varia est, secundum sexum et corporis constitutionem; si parum vehemens est, et si recte curatur, inter quartam et septimam diem terminari potest; sed nonnunquam ad secundam hebdomadam, ultraque etiam protrahitur.

DE MODIS IN QUIBUS MORBUS SOLET FINIRI.

1. *Resolutione.*—Pleuritis in resolutione sine crise manifestâ desinere potest, cùm signa

non multum urgent. Tunc a tertia quartave die decrescere incipit, et saepè ante nonam diem homo ad se redit: sed multo saepius sanationem comitantur sudores, fluxus haemorrhoidalis vel menstrualis, vel profluvium sanguinis ex nare vitiati lateris; dejectiones biliosae, urina copiosa, crassa, et aliquod coloris rubri demittens; sputum abundans, albidum aut subflavum, plus minusve crassum, et aliquandò referens pus.

Sed morbus non tam optabiliter semper finitur: In quibusdam exemplis, quidem raris, dolor e pleurâ ad humeros sedem mutat; in aliis autem ad dorsum, axillam vel cubitum, ubi nonnunquam abscessum facit.

2. *Adhesione*.—Crebrò accidit, ut citius vel tardius, secundum inflammationis vehementiam, lympha ex superficie pleurae effunditur, quae postea concrescens, inter costalem pulmonalemque pleuram adhesionem facit. Hae nunquam curari possunt. Aliqui putant, difficultatem spirandi, tussim siccam,

et etiam asthma ex his provenire ; sed quaestio est, an hoc satis probatum sit? Nonne saepè repertae sunt adhesiones, et quidem spatiosissimae in corporibus sectis hominum, qui semper dum vixerint, valetudine fructi sunt prospera?

3. *Gangraenâ.*—Haec, feliciter rarissima, solummodò accidit, ubi morbus ad vehementiam summam pervenit, vel ubi comitatur febris lenta. Facilè autem cognoscitur, decessione subitâ doloris; pulsu parvo, intermittente ; sputo nigro, purulento, atque malè olente ; virium defectione ; vultu solicito ; facie lividâ, et brevi aspectum moribundi exhibente ; livore infra oculos, qui hebetes fiunt atque desidunt. Nigrescunt etiam lingua, dentes et gingivae ; halitus ex ore foetidus ; spiritus debilis ; integumenta thoracis rosea, subcaerulea, vel colore plumbeo fiunt ; dejectiones liquidae sunt, fuscae et putridae ; urina nigra, crassaque ; denique sudor frigidus et glutinosus frontem extremumque corpus obtegit, et mortem aegro praenuntiat.

4. *Suppuratione.*—Tempus quo haec accidere potest, multum pendet ex violentia morbi. Potest esse vel subita, vel lenta. Cum morbus autem est longus, humor aliquandò effunditur ex superficie pleurae, et haec effusio hydrothoracem refert. Puris autem coitus, non rarus quidem, semper timendus est, cum morbus, ultra septimam diem, et sine remissione signorum protrahitur; cum horrores vagi, sine causâ manifestâ, sensus gravitatis in latere vitiato, difficultas spirandi, rubor faciei, sitis plus minusve vehemens, febris cum paroxysmis vespertinis, omnia vel singula urgent.

Indicatur autem Empyema signis sequentibus; dolore minuto, difficultate spirandi et tussi auctis, et decubitu in latus vitiatum valdè molesto. Si pectus percutitur, bene sonat; sed si *stetheoscope* admovetur, respiratio non audiri potest, nisi ad vertebrarum latera. Cum abdomen comprimitur, minatur suffocatio. Aliquandò brachium et externum pectus effusâ aquâ intument, et spatia

inter costas majora fiunt, atque protruduntur, et si digiti admoventur, circumfluens materia sentitur. Mollis est pulsus, tenuis, et frequens; vehemens sitis; labra et mala rubescunt; si homo in dorsum decumbat, subito expergiscitur; effusâ aquâ intument crura; tandem alia signa augentur, et si ars ei non auxilium praebeat, morbus suffocatione finitur.

Ex hac puris effusione in pectore possunt oriri multa incommoda. Bronchos potest perforare, in tracheam transire, et sic exspui; vel tabem facere et interimere aegrum. Aliquando septum transversum penetrat, et in ventrem effluit, vel abscessum facit, qui extrinsecus rumpitur.

4. *Statu Chronico.*—Cum nonâ circiter die, nulla apparet crisis, et signa, quamvis multum minuta, adhuc instant; et si etiam, est dolor plus minusve vehemens, spirandi difficultas et tussis sicca, judicare possumus, morbum esse vetustum incipere. Oritur

quoque febricula cum paroxysmo vespertino; sputa copiosiora redduntur, et aliquando pus mistum muco continent; somnus turbatur; cutis arida est, ac sicca; palpebrae et extremum corpus effusâ aquâ intument; facies pallescit, et tandem omnia signa tabis cum hydrothorace conjunctae, sese ostendunt.

DE MORBIS CAETERIS QUIBUSCUM CONJUNGATUR.

Rarò autem vel ne rarò quidem Pleuritis per se existit, ut eam nunc tractavimus; sed maxime cum quibusdam aliis morbis, sicut febribus inflammatoriâ, biliosâ, vel lentâ, seu peripneumoniâ, catarrho pulmonali, vel pleurodynâ, conjungitur. Sed si medicus signa Pleuritidis simplicis, bene in memoria teneat, facile has conjunctiones discernere poterit: Quamobrem non latius de hac re disseram, ne fines quas mihi imposui transgrediar.

DE DIAGNOSI.

Inter morbos cum quibus Pleuritis confundi potest, peripneumonia, quia eae est simillima, attentionem sibi vindicat medici, discrimen facere cupientis. Meum est ergò, quàm brevissimè, signa exponere utrique morbo propria.

In Pleuritide, est dolor acutus, in superficie pungens, circumscriptus; sedem aliquando mutans, et vel minimâ pressurâ auctus: In Peripneumonia contrà, dolor obtusus est, altus, gravis, quem semper comitatur molestia; non pressurâ autem augetur.—In illa spiritus est quasi interruptus dolore qui inter inspirandum vehementi supervenit; in hac autem est frequens, difficilis, brevisque. Tussis, in Pleuritide, sicca est ac dolens; in Peripneumonia autem, tussim plerumque comitatur sputum mucosum striis sanguinolentis mixtum, et leviter tantum dolens.—In pri-

ma, decubitus in latus se male habens, vix tolerabilis est, aut saltem dolentissimus; in alterâ, verò facilior.—In Pleuritide, pulsus durus, validus, evolutusque; in Peripneumonia, flexilis et mollis.—Denique, in illa, pectus cum percutitur, aut cum *Stetheoscope* admovetur, optimum dat sonum; in hac autem contrà, sonus fit asper et surdus.

Distingui etiam poterit Pleuritis à catarrho pulmonali, qui à quibusdam auctoribus *Pleuritis humida* falsò vocatur, signis huic morbo propriis; talia sunt, decubitus in utrumque latus facilis, et in pectore dolor obtusus, qui bronchorum cursum sequi videtur, et qui nec inspiratione valida, nec pressura augetur; sed potius tussi, quam sputum fere nullum primo, postea autem opacum et viscidum sequitur.

A Pleuritide etiam pericarditis subito suo progressu, et signorum vehementia distinguitur; ex summa molestia, dolore in praecordiis fixo, spiritu dolente altoque; facie mutata, et pulsu saepe inequali.

Denique a pleurodyna signis sequentibus facilis est cognitu. Eam saepè praecedunt dolores in membris vehementissimi, qui, posteaquam pleurodyna apparuerit, cito evanescunt; horrore non indicatur, aut saltem levissimo; summa in cute dolor est, qui maximè inter premendum lenitur; saepè sedem mutat; nunc humeros, nunc lumbos afficit, spiritus non multum turbatur; tussis debilis est, rara levisque.

DE PROGNOSI.

Haec, secundùm aetatem, sexum, corporis constitutionem, nexum et morbi exitum, multum variat. Pleuritis simplex ac mitis, raṙò est funesta; si vero gravis est, mortifera fieri potest, praesertim si, cum inceperit, neglecta fuerit sanguinis missio. Magis autem formidolosa est, cum febris lenta comitatur; in iis qui hunc morbum jam experti sunt, vel qui morbis aliis debilitantur; in adolescentibus validis, et habitûs corporis pleni; in iis

qui ex parentibus tabi sunt proclives; in mulieribus gravidis, puerperisve, atque in senibus, quibus maxima pericula minantur. Plerumquè, spiritus una est functionum quibus medicus maximè animum tendere debet, ut de felici vel funesto morbi exitu judicium ferat: Ità, cum non multum impeditur, pro praesagio bono habendum est; sed si aeger, nisi dum sedeat, spirare nequit, quamvis pulsus non multum afficiatur, prognosis non ideo minus erit funesta. " Bona respiratio semper bonum indicat, mala verò semper timenda." (Baglivi). Cùm dolor minuitur, vel ex loco decedit, quem priùs tenebat, et ad lumbos, dorsum, vel humeros, sese confert, sperari potest sanatio expedita; sed si pertinaciter in sede sua priore consistit, si febris et tussis ultrà diem undecimam porriguntur, timenda sunt gravia et saepè funesta mala, veluti effusio aquae, vel puris copiosa inter pulmonem et pleuram, vel ad statum longum transitus. Molestia, atque sollicitudo, delirium, quod semper timeri debet, praenuntiant. Addendum est, " alvi profluvium

"saepe salutare diebus criticis, periculosum "est ineunte morbo." (Trilleri, Aph. 27).

DE CORPORIS SECTIONE.

Non eadem autem vestigia semper post se relinquit Pleuritis. Aliquandò invenitur materia albuminosa, albicans, pleuram tegens, atque eae valide haerens. Aliàs, scilicet cum morbus effusione terminatur, liquor invenitur plus minusve abundans; aliquandò est pus, saepius colore impuro ac sero mixtum, et flocculos gelatino-albuminosos in sese continens. Interdum vitiatus est pulmo, aridus rugatusque, lieni similis, et sine crepitu: tunc quoque recognoscuntur adhaesiones de quibus altiùs locutus sum. Sed cùm Pleuritis acuta fuit, et cito hominem interemit, pleura non condensata est, quàm naturaliter tantùm rubrior; saepè etiam nullum est inflammationis vestigium, quod quidem mirè hanc Hippocratis sententiam confirmat, "Mors "spasmos solvit." Non sic autem accidit,

cùm morbus fuerit vetustus; cum res ità se habet, rubra et plus minusve densata reperitur pleura.

Laennec autem dicit, raro hanc membranam post inflammationem condensatam; sed plerumque membranas novas, vel cartilaginosas, vel carnosas reperiisse.

DE CURATIONE.

Si Pleuritis sit simplex, parumque vehemens, satis erit, omnia excitantia tum mentis, tum corporis evitare. Ita homo efficiat ut quiescat, cibo tenui, ex frugibus utatur, ab omni exercitatione sese defendat; potiones suaves, glutinosas, et diluendi aptas bibet; semper calidas, et saepè sed parcè sumendas. Medici Gallici cataplasmata lenientia pectori externo admovere solent, quae saepè ad sanationem multum valent. Medicus, cui, ut ait Baglivius, naturam ministrandi et interpretandi praecipuum munus

est, attentè considerare debet, ne ullum consilium quod ipse capiat, hujus conatibus repugnet. Sic, cum ex quibusdam signis cognoscet, sudores, menstrua vel fluxum haemorrhoidalem brevi eventura, vel cum jam inceperint, sed aegrè peracta; in primo casu, medicamenta quae levitèr movent sudores; in altero tertioque autem pediluvia vel hirudines ad locos, vel ad anum sunt usurpanda.

At si morbus sit maxime vehemens, vel in constitutione robusta et plena instet, ad omnia remedia quae corporis actionem minuunt, tunc confugiendum est. Sic, praeter remedia jam indicata, ex alterutro brachio sanguinis missio larga copiosaque agatur, quae brevi post tempore efficit, ut homo minus condoleat, lateris dolor minuatur, spiritus fiat facilior, pulsus mollior, caetera signa paritérque decrescant. Quae verò emittenda sit sanguinis copia, non modo in universum aestimari potest; sed secundum morbi vehementiam, et vires aegri habenda est. Ne-

cesse est etiam iterum atque iterum sanguinem mittere, quia quinque vel sex post horas, omnia signa ad gradum gravitatis priorem redeunt. Semper plus prodest, venam ineunte morbo secare, et in bene largo canali; sed plurima sunt exempla, in quibus ad octavam nonamve diem morata, exitus fuerit felicissimus.

Hirudines pectori externo aliquandò idoneae sunt, si sit aeger debilis, vel levis Pleuritis. Hae autem, morbo ingravescente, potius nocent, cum per se usurpantur. Re ita se habente, primo sanguis ex brachio mittendus est, et postea parti dolenti hirudines duodecim vel quindecim affingendae.

Sed si, his remediis adhibitis, dolor quamvis febris multum minuatur, assiduè urgeat, maxime convenit latus amplo vesicatorio tegere, vel plures vicissim admovere. Magis necessaria haec omnia erint, si causae morbi sint vel fonticuli suppressio, eruptiones e

cute repulsae, vel podagra ex sede sua dimota.

Praeter haec remedia externa, adhibenda etiam medicamenta interna quae morbi sanationi pariter favent. Itaque, ad tolerabiliorem reddendam tussim, quae semper multam dat molestiam aegro, potus emollientes, et qui refrigerare possunt, sicut ex syrupo pectorali, valent. Imperentur etiam quotidie quaedam partes salis purgantis, sicut sulphatis magnesiae, ad alvum astrictam solvendam. Finiente morbo, omnique irritatione jam decedente, potiones praebeantur paululum acriores, et levitèr sudorem moventes, sicut oxymelis simplicis, aut scillae maritimae.

Quamvis opium non omninò in hoc morbo commodum sit, quia sputum, quod semper multùm sanationi confert, impedit; si tamen vigilia perpetua urgeat, et non sit vehementissima inflammatio, erit medici prudentis nonnulla remedia leviter soporifera, sicut

laudanum, vel hyosciamum adhibere. Si supervenit delirium, omnes usurpandae sunt rationes, quae congestioni in cerebro occurrere possunt, sicut arteriae temporalis, vel pedis venae sectio, pediluvia excitantia, vesicatoria, &c.

Remedia quae maximè alvum movent, vel vomitum excitant, quia irritationem corporis augent, non multùm proficiunt. Attamen, excipienda sint Pleuritidis exempla a Stoll *biliosae* vocatae; nam in his vomitorium saepè convenit, praesertim si vena priùs secetur.

Non rarò autem accidit, ubi etiam terminatur Pleuritis feliciter, superest levis in latere dolor, praecipuè si homo in victûs ratione erraverit, aut sese incautè frigori objecerit. Ubi res ita se habet, optimum est remedium, ad partem qua sedet dolor, vesicatorium.

Cum signa puris coitus jam indicata in

pectore apparent, necesse erit, materiam per plagam inter costas peractam educere.

Pleuritis verò vetusta oppugnanda est, sanguinis ex parte missione leve crebraque, atque vesicatoriis saepè renovatis. In pectore, fonticuli, maxime auxilium praebere videntur. Utatur etiam aeger potionibus diluentibus, si multum aegrèque expectoret. Adhaesiones contra naturam nullum remedium potest sanare. " Si sanari hic morbus queat," ait Boerhaavius, " sanabitur solummodò durâ et impigrâ ratione vivendi, sub Jove exercitationibus, atque in rure equitatione."

Denique animadvertere licet, facile esse atque periculosum, post Pleuritidem rursus in morbum incidere, eòque convalescenti fugiendum esse quicquid perspirationem supprimit. Itaque se munire ab caeli mutationibus, et in cute vestem laneam gerere, debet.

FINIS.

Excudebant JACOBUS PILLANS & FILIUS.

ERRATA.

Pag. 8. *lin.* 20. *pro* adhesionem *lege* adhesiones.

— 20. — 19. *pro* plures *lege* plura.